COMMENTATIONEM

DE

PROCANCELLARIO

FACVLTATIS PHILOSOPHICAE LIPSIENSIS

PRAEMITTIT

ET AD

RENVNCIATIONEM

MAGISTRORVM

D. XVI FEBR. A. R. G. CIƆIƆCCXXXXVII

IN

AVDITORIO PHILOSOPHICO

SOLLEMNI RITV

INSTITVENDAM

RECTOREM ACADEMIAE

MAGNIFICVM

ILLVSTRISSIMOS COMITES

VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES

NEC NON

GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS

ACADEMIAE CIVES

DECENTER INVITAT

DECANVS

IOANNES ERHARDVS KAPPIVS

ELOQVENTIAE PROFESSOR.

Digitized by Google

Ratio noſtrae ſollemnitatis.

Indico hac tabula ſollemnem renunciationem XXVII. Philoſophiae Magiſtrorum, futuro Iouis die a me inſtituendam. Horum ſollemnium haec ratio eſt futura. Primo quidem, poſtquam Rector Academiae Magnificus, Splendidiſſimus Facultatis noſtrae Procancellarius, Decanus, omnes eius Profeſſores, cum Nobiliſſimis Candidatis, auditorium Philoſophicum ſunt ingreſſi: ego cathedram aſcendo, et Candidatos Magiſterii, qui prima laurea nondum ſunt ornati, liberalium artium et Philoſophiae Baccalaureos facio ac creo, et de ſententia Collegii Philoſophici factos creatosque renuncio. Quo facto Splendidiſſimus Procancellarius, IOHANNES FRIDERICVS CHRISTIVS, Collega Honoratiſſimus, oratione, *de concordia ſententiarum inter eruditos ſarcienda*, recitata, omnes Baccalaureos praeſentes et abſentes, ad ſummos in Philoſophia honores adſpirantes, Philoſophiae ac bonarum artium Licentiatos faciet, factosque renunciabit, ac mihi Decano poteſtatem faciet, his a ſe modo renunciatis Dominis Licentiatis ſummos in Philoſophia honores publico ſollemnique ritu conferendi. Poſtea ego iterum cathedram occupabo, et oratione, *de hiſtoria litteraria acrius quam ciuili in Academiis excolenda*, a me habita, ſpeciminibus candidatorum auditis, et obſeruatis aliis ritibus, antiquitus receptis, Dominos Licentiatos optimarum artium et linguarum Magiſtros, adeoque totius Philoſophiae, verae, caſtae et ſalutaris, Doctores faciam et creabo, factos creatosque publica voce renunciabo, tributurus illis poteſtatem docendi, cum omnibus iuribus et priuilegiis, quibus Magiſtrorum ordo, more et conſuetudine huius Academiae, vti, frui conſueuit. Haec renunciatio ſollemnis ſemel quidem ſingulis annis publico ritu, menſe plerumque Februario, ab Ordine noſtro inſtituitur, ſed ea eſt Splendidiſſimi Procancellarii noſtri per integrum vnius anni ſpatium facultas, vt Magiſterii Candidatos, ſi qui ſint, ad examen

men priuatum, a ſe et quibusdam Collegis inſtituendum, admittere, dignosque iudicatos, ſummis in Philoſophia honoribus ornare queat, et ſoleat, ita quidem, vt Decanus illos publico diplomate Magiſtros, ſeu Doctores Philoſophiae, declaret, proxima deinde panegyri vna cum aliis publice renunciandos. Ego vero haud inconſultum eſſe duco, in hac ſcriptione, antequam nomina eorum, qui in proxima panegyri a me publice renunciabuntur, exhibeantur, *de Procancellario Facultatis Philoſophicae Lipſienſis*, quaedam diſſerere, idoneisque monumentis, manu etiam exaratis, confirmare. [*Diſſeritur de Procancellario Facult. Philoſ. Lipſ.*] Nomen *Procancellarii* in priſcis Matriculis Facultatis noſtrae ante annum CIƆIƆLXI. vix aut raro occurrit, ab anno CIƆIƆLXIIII, quo deſignatio Procancellarii Facultati indulgentiſſime conceſſa fuit, magis frequentari coepit, hodieque plerumque ſeruatur. Dicebatur enim is olim fere, a primo Academiae conditae anno, vſque ad annum ſexageſimum primum *Vicecancellarius*. [a]) [*Olim is Vicecancellarius dicebatur.*] Intelligitur autem per *Procancel-*

a) CAROLVS DV FRESNE, Dominus du Cange, in Gloſſario mediae et infimae Latinitatis T. II. p. 149. edit. nouiſſ. de Cancellariis Academiarum haec habet: „Cancellarii Academiarum dicti, qui iis „quodammodo praeſunt, penes quos totius rei literariae regimen, ac „moderatio eſt, qui ſi res poſtulat, in ſocietatem profeſſionis ſuae, „idoneos Magiſtros aduocant, caſtigant, ſi quid in doctore collega ſit „dignum poena aut reprehenſione, et meliores ſubrogant, cathedris„que praeficiunt, Baccalaureos ad Doctoralem apicem promouent, „nouas leges condunt, veteres abrogant, ſcholarem diſciplinam re„formant &c. Quae quidem dignitas ſemper alicui illuſtri perſonae a „Pontificibus demandata eſt, interdum ipſis Epiſcopis. Vide Grerſe„rum L. I. obſeruat. ad Philippum Eyſtetenſem c. 21. Hemeraeum „de Academia Pariſienſi c. 7. et ſeqq. Cruceum in Epiſcopis Cadur„cenſ. n. 227. 228. 229. Stephanum Paſchalium in Diſquiſit. Fran„cicis libr. 9. c 21.„ Huic Cangiano de Cancellariis articulo adde CHRISTFRIDI WAECHTLERI Commentationem de Cancellariis veterum, Dreſdae A. CIƆIƆCCV 4. editam, vbi p. 25. de Cancellariis Academicis agit, et priuilegium Innocentii VI aut VII Pontificis ineditum ex codice antiquarum membranarum, de auctoritate Rectoris Academiae Pragenſis, quam ibi habet vt Cancellarius Vniuerſitatis, in qualibet Facultate, produxit. [*Cangii de cancellariis Academiarum articulus exhibetur.*]

Google

Quid ſit Vicecancellarius vel Procancellarius?

larium, vel *Viceeancellarium* is, qui vice *Cancellarii* examini et promotioni eorum praeeſt, qui dignitatem magiſterii petunt. Iam vero ſatis conſtat, ALEXANDRVM V. Pontificem in diplomate, V. Id. Sept. A. CIↃCCCCIX. Piſis dato,

Cancellarius Vniuerſitatis L. fuit Epiſcopus Martisburgenſis.

Epiſcopum *Martisburgenſem*, tunc temporis exiſtentem, Academiae noſtrae Cancellarium, conſtituiſſe, eique auctoritatem et poteſtatem inſtituendi examina, tribuendique titulos atque honores Academicos, conceſſiſſe. Fuit autem Epiſcopus Martisburgenſis, tempore inaugurationis Academiae noſtrae, vs-

Quis primus Cancellarius fuerit?

que ad d. III. Auguſti A. CIↃCCCCXI. WALTHERVS a KOECKERIZ,[b]) et dum eodem anno CIↃCCCCIX. d. XVIII. Dec. idem Pontifex ALEXANDER V. Epiſcopum *Martisburgenſem*, tunc exſiſtentem, vna cum Decanis, *Martisburgenſi* et *Numburgenſi*, Academiae noſtrae *Conſeruatorem* conſtituit, idem *Waltherus* et primus *Cancellarius* et *Conſeruator* iure dici poteſt. *Waltherum* autem *Koeckerizium* primum Academiae noſtrae Cancellarium fuiſſe, MARTINVS HANKIVS [c]) in vita *Ioannis Ottonis Monſterbergenſis*, ante triginta annos ſolide oſtendit, id quod maiori adhuc eruditionis apparatu etiam a Viro illuſtri, MICHAELE HENRICO GRIBNERO, haud intermoriturae memoriae Iurisconſulto, in ſingulari Programmate ante plures annos fuit demonſtra-

Quis primus Fac. Philoſ. Vicecancellarius fuerit?

tum. [d]) Recte etiam *Iohannes a Munſterberg*, primus Academiae Rector, primus Facultatis Philoſophicae *Procancellarius*, ſeu *Vicecancellarius*, a IOANNE FRIDERICHO,[e]) HANKIO,

b) De hoc *Waltero Koeckerizio*, et aliis Epiſcopis, et poſtulatis Adminiſtratoribus, conferri poteſt Chronicon, quod ex Codice membranaceo publicauit IOANNES PETRVS a LVDEWIG T. IIII. Reliquiarum a p. 329-588.

c) Habetur in eius libro de Sileſiis indigenis eruditis, Lipſiae A. CIↃIↃCCVII 4. excuſo p. 105.

d) Indixit eo inaugurationem quinque candidatorum iuris A. CIↃIↃCCXXXI 4.

e) In panegyrico ſaeculari, A. CIↃIↃCIX pronunciato p. 39. edit. quae in HIERONYMI DICELII Academia Lipſienſi rediuiua habetur.

Digitized by Google

KIO,[f]) GRIBNERO,[g]) dicitur. Is vero non a Cancellario primo, ſed *ab Vniuerſitate* A. CIↃCCCCIX, adeoque ipſo anno inaugurationis eius, fuit electus.[h]) Eadem Vniuerſitas A. CIↃCCCCX. die puerorum ſecundum Vicecancellarium M. *Vincentium Grunerum*, Sacrae Theologiae Baccalaureum, et A. CIↃCCCCXI. M. *Laurentium de Heylsberg* Vicecancellarium elegit.

electus fuit ab Vniuerſitate.

Quis ſecundus?

Quis tertius?

Vtrum vero A. CIↃCCCCXII promotio Magiſterialis, et Vicecancellarius fuerit, et quis in illa, ſi fuerit, hoc munus adminiſtrauerit, illud maiores noſtri in Faſtis Facultatis huius anni haud annotarunt, in quibus duae paginae occurrunt, quibus nihil eſt inſcriptum. At CIↃCCCCXIII Vicecancellarius ab Epiſcopo Martisburgenſi, qui tunc *Nicolaus Lubeck* fuit, M. *Helmoldus Zoltwedel*, Doctor Medicinae, ſubſtitutus fuit.

Quo anno ab Epiſcopo Martisb. ſubſtitui coeperit?

Repetenda etiam hic eſt annotatio, quam manus antiqua margini noſtrae matriculae adſcripſit his verbis: *prius ſemper Vniuerſitas habuit eligere Vicecancellarium.* Et ab hoc anno decimo tertio Epiſcopi Martisburgenſes Vicecancellarios per longam annorum ſeriem deſignarunt, ita quidem, vt plurimos ex ipſa Facultate Philoſophica elegerint, interdum ipſi Decano, interdum Academiae Rectori, hanc dignitatem contulerint, interdum vero Doctores aliarum Facultatum conſtituerint, qui tamen, vti quidam Magiſtri ſubinde etiam fecerunt, deinde vices ſuas alii Magiſtro demandarunt.

Quos, et ex quibus Facultatibus Epiſcopi eos elegerint?

Subſtitutio interdum facta,

Sic A. CIↃCCCCXVI M. *Auguſtinus de Kemniz*, Decanus et Vicecancellarius ſimul

 erat,

f) l. c.

g) In laudato Programmate litt. B. not. cc)

h) In Matricula prima Facultatis Philoſophicae haec habentur: Item eodem anno MCCCC nono ipſo die puerorum in examinationes magiſtrandorum electi fuerunt Magiſtri infra ſcripti de natione Miſnenſi M. *Petrus Storch*, de natione Saxonica M. *Henricus Bernhagen*, de natione Bauarorum M. *Albertus Varrentrappe*, de natione Polonorum M. *Laurentius de Heylsberg*, eodemque anno electus fuit *per Vniuerſitatem* in Vicecancellarium M. *Ioannes de Monſterberg*, Sacre Theologie Profeſſor.

Primi examinatores ex matricula exhibentur. primus Vicecancellarius ab Vniuerſitate fuit electus.

erat, ſic A. CIↃ CCCC XXXIX M. *Henricus Lur*, qui anno an[illegible] Sabbato ante feſtum Galli *Decanus* electus erat, P[illegible] fuit conſtitutus. Rectores vero Vniuerſitatis etiam fuiſſe Vicecancellarios, docent exempla M. *I[illegible] Graffe de Gera*, et M. *Ioannis Meſeberch de Stendal*, quorum ille A. CIↃ CCCC XXX, hic vero anno XXXI Rector et Vicecancellarius ſimul fuit. Demandaſſe autem vices ſuas, et Magiſtros, et Doctores Vicecancellarios, aliis Magiſtris, exempla ſequentia ſatis ſuperque comprobant.

a M. ſuis. Sic CIↃ CCCC LXXXVIII Vicecancellarius M. *Bartholomaeus [illegible] Zwickaua*, et anno ſequenti, Vicecancellarius, M. *M[illegible] Farman de Konitz*, vices ſuas M. *Henrico Greue de Gottinga* commiſerunt.

a Doctoribus omnium Facultatum. Idem etiam annis ſubſequentibus a ſex Doctoribus factum eſt, de quibus ipſa verba matriculae adſcribemus. A. CIↃ CCCC XCI Vicecancellarius, egregius Doctor, *Ioannes Wildow de Treptis*, vices ſuas Magiſtro *Iohanni Brandt de Rotenburga* commiſit. Anno CIↃ IↃ III Vicecancellarius, M *Conradus Coci de Wimpina*, i) Sacrae Theologiae Doctor, vices ſuas Magiſtro, *Georgio Breytkopff de Konitz*, commiſit. Anno CIↃ IↃ X. Vicecancellarius fuit egregius vir, dominus Doctor, *Chriſtophorus Cupanerius*, vtriusque iuris et philoſophiae Doctor, qui vices ſuas commiſit ſpectabili viro, Domino Magiſtro, *Andreae Hundt de Magdeburgk*, artium Magiſtro.

A Tuberino. Anno CIↃ IↃ XII in Matricula Decanatus M. *Ioannis Tuberini Erythropolitani*, ſeu *Rotenburgenſis*, k) quae-

emendatur Chronicon Gottwicenſe.

i) Reuerendiſſimus Abbas Gottwicenſis, GODEFRIDVS BESSELIVS, in Chronico Gottwicenſi p. 864 perperam aſſerit, Wimpinam A. CIↃ IↃ III, a Tilone, Epiſcopo Merſeburgenſi, *Vniuerſitatis* Pro-Cancellarium conſtitutum fuiſſe. Fuit enim tantum *Facultatis Philoſophicae* Vicecancellarius. Digna alias eſt vita Wimpinae hic extans, quae haud negligatur.

k) De hoc Tuberino conferri poteſt Anonymi Centuria ſcriptorum inſigni-

Digitized by Google

quaedam etiam huc pertinentia habentur. Inſcripſit *Tuberinus* ei hoc Epigramma: *cuius epigramma exhibetur e manuſcripto.*

Ille ego qui quondam cecini ſacra caelicolarum
Caelatum Muſis ſcripſi opus atque nouem.
Triginta vnde mihi praeſignis ab arte facultas
Donauit larga fulua metalla manu.
Illius antiſtes fueram ſimul octo, decemque
Laudibus affeci multiſonisque viros.
Septena fuerant deſignati arte Magiſtri,
Nec fuit ante oculos charta repoſta meos.
Natio Boiorum nutrit. Spumantibus vndis
Me Tuberus profert Vrbs Erythraea quoque.
(Crede mihi) ſtudium iactandi pangere nullum
Illa, facultatis ſed mage ſuaſit honos.

Huic epigrammati *Tuberinus* ſequentia adiecit: Verus *Archigrammateus* ſiue *Vicecancellarius* Doctor Theologiae, *Martinus Meendorn ex Hirſchberg*, Collegii maioris Collega. Suffectus Magiſter *Gothardus Luderi*, Hallenſis. An. CIↃ IↃ XIII Vicecancellarius fuit Magnificus vir, Dominus Doctor *Paſca in Magdeburg*, qui vices ſuas Magiſtro *Gothardo Luderi*, Hallenſi, commiſit. A. CIↃ IↃ XX Vicecancellarius fuit vir Magnificus, dominus Doctor *Ioannes Frondinus*, Waſingenſis, qui vices ſuas Magiſtro, *Alexandro Stekeler de Eslingen*, commiſit. Sed antequam ad reliqua illa, *de Procancellario*, in hac ſcriptione, afferenda, pergam, haud alienum erit munuſculi illius mentionem facere, quod Epiſcopus Martisburgenſis A. CIↃ IↃ a Facultate pro ſuis, ob varios labores, etiam in cauſſa *Vicecancellariatus*, petiit, et difficul- *Vicecancellarius dicitur Archigrammateus.*

ſignium, qui in Lipſienſi, Wittebergenſi, Francofurdiana, Academiis floruerunt a IOACHIMO IOHANNE MADERO euulgata n. LXV. Adde Viri Clariſſimi, IOANNIS HENRICI LEICHII, de origine et incrementis Typographiae Lipſienſis librum ſingularem p. 30. et 95.

Thilo, Epiſc. Martisb. pro aliis, et in cauſſa Cancellariatus a quadam Facultate petiti. Idem Vniuerſitatem reformauit. Notitia capitum reformationis eius ex MS.

difficulter obtinuit. Erat ille *Thilo de Trotta*, ſi quis alius Epiſcoporum Martisburgenſium, de rebus Academiae noſtrae ſollicitus, cuiusque ſollicitudinis, vti varia documenta, ita in primis A. CIↃ CCCC XCVI *Reformationem Vniuerſitatis noſtrae*, a ſe eius *Cancellario vnico* et *Conſeruatore Apoſtolico*, vna cum Commiſſariis Ducis *Alberti*, et eius filii, *Georgii*, ſuſceptam, cum huius approbatione, publicandam curauerat. Haec Reformatio, in caſtro *Lipſienſi* XVIII Oct. peracta, certa ſtatuta et ordinationes complectitur, quae hoc ordine exhibentur, poſtquam *Thilo* Vniuerſitatem his verbis laudauerat: „ſtudium Lipſienſe, *inquit*, procul dubio „quam plurimos Theologos, artium cultores, Philoſophos, „Notarios, Aſtronomos, ſacrorum eloquiorum declamato-„res, Scribas, Phyſicos, Aduocatos, Oratores, Iurisconſul-„tos, reliquosque quam multos elegantes viros educauit, et „ad alia regna longinqua, et prouincias, vt illis conſiliis prae-„eſſent, emiſit atque legauit.„ Haec ſtatuta XXXI capitibus abſoluuntur, quorum I agit de obedientia et reuerentia, II de Rectoris iurisdictione, quam plenariam, nedum in omnia ſuppoſita, verum etiam in omnes Facultates Nationesque Vniuerſitatis eſſe voluit, III agit de iudice Vniuerſitatis, IV de votis pungitiuis, V de habitu honeſtatis, VI de ſtantia i. e. habitatione in collegiis et burſis, VII de Magiſtris ſalariatis, VIII de Collegiatorum electione, IX de Collegiorum et burſarum honeſtate, X de prandiis promotionum moderandis, XI de obſeruantia ſtatuti ſuper ſtantia, XII de locis, quae approbata cenſeantur, XIII de recognitionibus ſuper reſponſionibus, et ſtantia habendis, XIV de recognitione per Decanos de ſtantia, XV de recognitionibus pro lectionibus et exercitiis auditis, XVI de lectionibus legendis, et exercitiis exercendis, XVII de lectione Logicae *Hesleri*, cui libros Rhetoricos *Ariſtotelis* ſubſtituit. XVIII de lectionibus in Mathematica, in quibus inter alia *Eucli-*

Digitized by Google

Euclidem commendauit, XIX de ſerotina et ordinaria diſputationibus, XX de ſuppoſitis ad ſerotinam diſputationis ac latinitatis obſeruationem compellendis, XXI de diſpenſationibus, XXII de reſumptionibus publicis, XXIII de certis reſumtoribus, per Facultatem artium deputandis, XXIV de Magiſtris, ad Conſilium Facultatis recipiendis, XXV de Magiſtris aliarum Vniuerſitatum, recipiendis ad Facultatem artium, XXVI de votis pungitiuis in Facultate artium prohibendis, XXVII de prandio Ariſtotelis, XXVIII de quodlibetico diſputando, XXIX de Decano et ſuis executoribus, XXX de executione per Decanum circa praemiſſa, XXXI de executione omnium praedictorum. Quod vero ad illud munuſculum attinet, in cauſſa etiam *Vicecancellariatus*, magna difficultate ab Epiſcopo Martisburgenſi obtentum, illud lagena erat vini pro octo florenis comparata. [1]) Sub Thilonis

Obtinuit lagenam vini pro octo florenis.

I) A. CIↃIↃ ſub decanatu Magiſtri, *Virgilii Wellendorffer*, Saltzburgenſis, hæc habentur: „Ipſo die Epiphanie Reuerendus in Chriſto pater et „dominus, dominus Epiſcopus Merſenburgenſis, miſit pro me Decano et „certis meis ſenioribus, vt ſuam gratiam in prepoſitura b. Thome adiremus. Et inter cetera longe narrationis capitula ſua deſiderauit Re„uerenda paternitas, vt executoribus, doctoribus, a quibus ſua gratia „pro tunc facultatem artium abſoluit et liberauit, certis ex mouen„tibus cauſſis, pro habitis tunc laboribus, aliquid reuerencie, merce„dis atque ſalarii daretur illis. Sed tunc ſue fuit obiectum gratie, „quod hoc forte vergeret in magnam facultatis et magiſtrorum eiusdem „confuſionem. Neque magiſtri de conſilio facultatis ad hoc induci „poterant, in facta conuocatione publica eorumdem, vt aliquid „ſalarii expreſſiſſent atque concluſiſſent, quod fuiſſet huiusmodi exe„cutoribus preſtandum ſiue exhibendum, huc vsque eiusdem nego„tium indiſcuſſum atque ſuſpenſum permanſit executorum. Anno „Domini, quo ſupra, feria in Anthonio quinta, ſub hac verborum „formula conuocatio magiſtrorum fuit celebrata. Reuerende Ma„giſter, ſitis hodie hora vndecima in ſtuba facultatis ad audien„dum deſiderium et commiſſionem domini noſtri gratioſi, epi„ſcopi Merſeburgenſis, in cauſſa *Vicecancellariatus*, et proxime Dom. „Doct. *Caſperi* Medicine, et ad conſulendum deſuper. Concluſum „fuit, vt ex ſpeciali reuerentia et propter bonum pacis vna lagena „optimi vini ſue gratie dono et muneris loco, facultatis nomine at„que

Wellendorfferi de Epiſcopi Martisburgenſis deſiderio alicuius mercedis pro ſuis relatio.

Hanc primo Facultas negauit,

deinde epiſcopo lagenam vini pro octo florenis in

Digitized by Google

Anno 1524. Facultas per aliquod tempus caruit Vicecancellario. Litterae ad Episcopum Martisburg. epiſtola ex MS.

lonis ſucceſſore in EpiſcopatuMartisburgenſi, ADOLPHO, Principe Anhaltino, Facultas Anno CIↃ IↃ XXIV Vicecancellario aliquando caruit. Forma litterarum, ad Epiſcopum, pro impetrando illo, tunc ſcriptarum haec erat.

Reuerendiſſime in Chriſto pater ac Princeps illuſtriſſime, non arbitramur Reuerendiſſime veſtre Celſitudini inexploratum illud eſſe, Viceecancellarii, quem Reuerendiſſima veſtra paternitas in ſuum locum, pro creandis magiſtris, conſtituerit, officium, vt pro Facultatis noſtre conſuetudine, mox ab omnium ſanctorum feſto cum candidatis pro magiſterio, ſi qui preſto fuerint, repetere et exercere teneatur, partim ne iuuentutis ſtudia parum promouere videamur, partim ne has ſimiles voces hoc preſertim ſeculo crebro audire cogamur, ad animos noſtrorum imbuendos nos ſegnes, ad rem vero faciendam expeditos. Et quando neminem hoc anno ad hunc vſque diem, qui tale quid Reuerendiſſime veſtre paternitatis nomine nobiſcum preſtarit, agnouimus, precamur ſummis precibus, quo Reuerendiſſima Veſtra dominatio, quam primum id fieri poteſt, Viceecancellarium ad nos mittere, aut alicui nobiſcum eandem prouinciam delegare dignetur, vt periculoſo hoc ſeculo res facultatis noſtre vtcunque obſeruari, et inſigniri nobiſcum volentium ſtudia hoc melius promoueri poſſint. Speramus enim Magiſtrandos nobis fore, quanquam perpaucos. His nos noſtraque omnia Illuſtriſſime veſtre gratie commendantes, Dat. Lipſie, rel.

Ad hanc epiſtolam ita Epiſcopus die Martis poſt Catharinae reſpondit:

Von

cauſſa etiam Viccancellariatus tranſmiſit,

„que dicti doctoris *Caſperi* mitteretur, pro quo quarta feria poſt Valentini circiter horam octauam familiari domini Doctoris Wilde „octo numeraui florenos, pro quibus vna lagena Malmazeri comparata, et transmiſſa domino gratioſo, Epiſcopo Merſeburgenſi, fuerat. „Ita deſiderium domini gratioſi atque prefati domini Caſperi adimpletum erat.„ Hactenus verba VIRGILII WELLENDORFFERI, de quo videri poteſt Anonymi Centuria ſcriptorum ſupra laudata n. LXI.

Digitized by Google

Von Gottes Gnaden Adolph Biſchoff zu Merſsbergk, Furſt zu Anhalt etc.

ADOLPHI ad eandem reſponſio.

Vnſernn Gruſs zuvorn wurdigen vnd achtbarn lieben andechtigen. ewer ſchreybn mit anzeygunge des Bruchs halb eines *Vicecancellarii* die gewenliche Vbunge mit den Magiſtranden, ſo nach dem Feſt aller Heyligen ſolten angefangen ſeyn, ietzt nicht gehalten, auch niemand der ſich ſolcher anmaſst verhanden, bittende derwegen zu verordenn vund bevelh zw thuen, domit ſolch Vbunge vnableſslich in gewenlichem Gebrauch gehalden werde etc. haben wir heren leſen. vnd ſtellen in keinen zweyffel, ir traget gut wiſſen waſſer maſſen es hievor ſolchs *Vicecancellariats* halb geubt, alſo das vuns einer tuglich darzu angegeben vnd gebetten denn ſelbigen zw beſtettigen. Wo nun demſelbigen nach itz der mas auch geſchicht, wollenn wir uns genediges Willens der Gebur wiſſenn zw halten, vnnd euch gunſtigen Willen zw bezewgen ſeynd wir geneigt ·Geben zw Merſsberg Dinſtag nach Catharine Anno etc. XXIIII.

Poſt has litteras acceptas Magiſter *Leonhardus Schacht* Martisburgum iter fecit, et breui reuerſus, litteras Epiſcopi Decano, qui *Ioannes Reuſchius, Fontanus,* itemque Vniuerſitatis Rector erat, legendas obtulit, atque die Nicolai publicauit, ſe Metaphyſica pro more praelecturum. Nec ignotum mihi eſt, hos Viceecancellarios litteras, ab Epiſcopis Martisburgenſibus iam ante hoc tempus ad Facultatem exaratas, obtinuiſſe. Certe in Heptalogio VIRGILII SALTZBVRGENSIS, A. CIↃIↃII hic Lipſiae apud Melchiorem Lotherum in 4. typis exſcripto, illarum *litterarum*, *Viceecancellario* datarum, tanquam rei conſuetae, m) mentio iniicitur, quarum

Factus tunc eſt M. Schacht Viceecancellarius per litteras.

Eiusmodi litteras iam antea receptas fuiſſe, probatur.

m) Placet ex ſermone ſeptimo *Heptalogii* litt. P. quædam verba repetere: Signanter cum ſagittas atque argumentorum iacula eliſerit, atque in ſuos retorſerit auctores, vt tunc ingenii atque memorie docetes in lucem prodire ſolent. Quod maxime verum eſſe in quodlibeticis

Wellendorffferi de Viceecancellariis per litteras con-

primae forte tam antiquae ſunt, quam deſignatio Vicecancellarii A. CIↃCCCCXIII. primum facta, licet earum exempla aut non amplius extent, aut nobis adhuc non occurrerint.

Quanquam vero ſatis ſuperque conſtat, Facultatem Philoſophicam iam olim candidatum Procancellariatus Epiſcopis Martisburgenſibus, Academiae Cancellariis, interdum commendare conſueuiſſe, ab iisdem poſtea confirmatum, neceſſarium tamen illa duxit A. CIↃIↃLXIII. epiſtolam ſupplicem ad Celſiſſimum et Reuerendiſſimum Principem, ALEXANDRVM, Saxoniae ducem, Eccleſiae Martisburgenſis tunc Adminiſtratorem, tranſmittere, ac ſubmiſſe rogare, vt ius deſignandi Procancellarii Facultati in perpetuum concederetur, et deſignatus a Cancellario confirmaretur, quam etiam deſignationem anno ſequenti, membranae inſcriptam, indulgentiſſime obtinuit, quae ita ſe habet: ALEXANDER, Dei gratia Dux Saxoniae, Lantgrauius Duringiae, Marchio Miſniae, adminiſtrator eccleſiae Merſpurgenſis, et Reipublicae literariae ſtudii Lipſenſis Cancellarius vnicus. Egregiis ac doctiſſ. viris nobis dilectis, Decano et communitati ſtudii bonarum artium in Academia Lipſica, ſalutem in domino. Anno ſuperiori

Anno 1564. Facultati ius deſignandi Procancellarii ab ALEXANDRO *Duce eſt conceſſum. Ipſum diploma ex membrana exhibetur.*

ſtitutis aliisque rebus verba:

beticis affirmant diſceptationibus. *Licet multi doctorelli artium liberalium pondus parui faciant. Quia illas propter earum difficultatem* **aut** *propru ingenii tarditatem addiſcere nequeunt, et reuera magnum eſt magiſteris nomen, quod ſcientie ſi non correſponderit, eſſe definit.* Preterea epiſcopus & *Cancellarius* principalis Vniuerſitatis, & iurium ſiue priuilegiorum conſeruator, nihil realiter communicat huic, quem ex ſua gratia et intimata voluntate, *per litteras Vicecancellarium* ordinat atque conſtituit. Neque talis ſubſtitutus et *Vicecancellarius* eſt propter hoc realiter immutatus. Neque ipſe nouellis magiſtris ſiue licentiatis ex ſua delegata licentia aliquid ſcientie infundit. Sed quoddam prohibens remouere ſolet. Erat enim quaſi promouendus prohibitus ad quedam publice reſumendum. Nunc autem vt ſufficiens admittitur, que licentia data et accepta nullam realem qualitatem connotat, quia ſi nouelli magiſtri ſentirent, ſe per promotionem aliquid recepiſſe a *Vicecancellario*, tunc vtique promptiores fierent ad eliciendum ſcientiarum actus &c.

Digitized by Google

riori nobis ſubiectiſſimo ſtudio ſignificandum cenſuiſtis, et tam ratione noſtri officii, quam communitatis veſtrae reſpectu, pretium operae fore iudicaſtis, vt poſthac magnis et grauibus de cauſſis nobis expoſitis, in delegando procancellariatus noſtro munere conſtitutionis veſtrae nobis demonſtratae ratio haberetur, et vobis iudicium commendatioque concederetur, certa quadam ratione deſignandi eius apud Vos, cui tanquam procancellario mandaretur proprium illud munus noſtrum, vt loco et vice noſtra de petentibus dignitatem Magiſtrorum bonarum artium cognoſceret, et totum illud negotium adminiſtraret, noſtraque authoritate gereret, et vt ea ſerie, qua ab antiquo diſpoſitae fuerunt Nationes, in hoc honore tribuendo procederetur, deſignatusque hoc modo literis publicis a Decano, nobis Aulaeque gubernationis noſtrae Merſpurgenſis indicaretur, qui tandem ſi admiſſus, et vetere conſuetudine a nobis probatus eſſet, deſignationis confirmationem a nobis impetrare, et literas hoc teſtantes proferre coram communitate veſtra deberet, quo ſimul etiam obſeruaretur id praeſtari, quod deberetur. Conſtitutum quoque a vobis eſſe, vt literarum gratia numeraretur Cancellariae Aulae noſtrae Merſpurgi Florinus vnus, et praeterea de ſingulis, quotquot numero fuerint, qui Magiſtri artium tunc ſolemni renuntiatione declararentur, dimidium florini communis monetae perſolueretur, ſic quidem, vt de iſta ſumma nihil detrahi ab eo qui ſoluere, neque exigi amplius ab iis, quibus pendi deberet. Et cum omnium horum authoritatem atque confirmationem noſtram legitimam ſubiectiſſima flagitatione contenderetis, nos, vt par eſt, clementiſſimo fauore bonarum diſciplinarum et artium ſtudia complectentes, eisque optima ſerie aliisque adminiculis ſubuenire cupientes: precibus veſtris benigne annuimus. Concedimus igitur et confirmamus vniuerſa et ſingula, quae ſupra nobis propoſita ſunt. Et iubemus ac volumus poſthac tam in impetrando

Cancellariae Martisburgenſi litterarum gratia ſolutus eſt florinus vnus. pro ſingulis Magiſtris dimidium florini communis monetae eidem perſolutum.

et delegando, quam adminiſtrando procancellariatus noſtro munere, conſtitutionem atque ſeriem hanc, nec non praeſcriptae pecuniae numerationem, tali modo in communitate veſtra ab omnibus et ſingulis ex corpore ipſius, inuiolabiliter in perpetuum cuſtodiri et ſeruari. Quare in fidem harum literarum ſigillo noſtro eas ſignari mandauimus. Datae Merspurgi V. Menſis Ianuarii, Anno Chriſti M. D. LXIIII.

P. Cretzſchmar I. V. L.

Appenſum eſt huic Diplomati ſigillum ALEXANDRI, rubrae cerae impreſſum, circum quod haec verba leguntur: S. ALEXANDRI D. G. DVCIS SAXON & ADMINISTRATORIS MERSEBVRGENSIS. Dicemus de hoc indulgentiſſimo Principe, magni Electoris, AVGVSTI, filio, praeclarae ſpei, a *Nicolao Selneccero*, pietatis et litterarum fundamentis imbuto, cui GEORGIVS FABRICIVS Poetas ſuos Chriſtianos, aeternum et nunquam ſatis laudandum opus, nuncupauit n), ſed anno aetatis ſuae duodecimo, anno Chriſti CIↃIↃLXV immatura morte erepto, alio tempore plura, atque elogia, quibus laudes eius IOACHIMVS CAMERARIVS, o) ABELVS STRASBVRGVS p) in noſtra, et CASPAR PEVCERVS q) in Wittebergenſi Academia in primis cele-

Laudatus eſt Dux ALEXANDER a Georgio Fabricio,

Camerario, Abelo Strasburgo, Caſp. Peucero. Haec elogia

n) Prodiit illud A. CIↃIↃLXIV. 4. mai.

o) Vide eius orationem vndecimam, complectentem lugubris mortis Illuſtriſſ. Princ. Illuſtriſſ. Princ. El. AVGVSTI F. Ducis Saxoniae ALEXANDRI mentionem p. 301. ſeqq. Habita fuit oratio A. CIↃIↃLXV.

p) Haec ABELI STRASBVRGI oratio carmine conſcripta, et pronunciata in Academia noſtra A. CIↃIↃLXX. d. VIII. Iulii, addita eſt IACOBI SSRASBVRGI orationibus numero tribus carmine conſcriptis, et diebus anniuerſariae memoriae Illuſtriſſimi et fortiſſimi Ducis Saxoniae, Princ. Elect. MAVRICII etc. in conuentu ſolemni aedis Paulinae Lipſ. V. Id. Quintil. pronuntiatis. Excudit eas Ioannes Rhamba 8. A. CIↃIↃLXX.

q) Functus eſt hoc pietatis officio in Commonefactione de periculis horum temporum, propoſita Scholaſticis Academiae Wittebergenſis XII. Kal. Oct. A. CIↃIↃLXV. Prodiit eodem anno Witteb.. 8. et poſtea

Digitized by Google

alio tempore repetentur.

celebrarunt, repetemus. Sed progrediendum eſt ad reliqua, quae Procancellariatus Facultatis noſtrae ſubiit fata, breuiter enarranda.

Fruita eſt Facultas hac conceſſione vsque ad annum LXXX.

Fruita quidem eſt Facultas noſtra indulgentia ALEXANDRI vſque ad annum illius ſaeculi octogeſimum, atque ſingulis annis ex ordine ſuo aliquem deſignauit, qui examini et promotioni Magiſteriali vice Cancellarii praeeſſet.

Hoc anno Zach. Schilterus perpetuus Acad. Vicecancellarius eſt factus.

At poſtquam laudatiſſimus Princeps AVGVSTVS A. CIƆIƆLXXX. *Zachariam Schilterum*, S. S. Theologiae Doctorem et Profeſſorem, perpetuum Academiae Vicecancellarium, conſtituerat: is etiam, vti in tribus reliquis Facultatibus, ita in Facultate Philoſophica, Vicecancellariatum adminiſtrauit, et examinibus Magiſtrorum praefuit. A. CIƆIƆLXXX. geſſit quidem iam vicem Cancellarii Reuerendus et Clariſſimus Vir, *Zacharias Schilterus*, ſed ob grauiſſimum morbum inquiſitioni in progreſſus ſtudiorum et morum, petentium dignitatem magiſterii, praeeſſe non potuit, ſed partes ſui muneris *Andreae Humelio*, tunc temporis Decano, mandauit.

Interfuit quinque examinibus Candidatorum magiſterii ex officio, audiendi ſaltem cauſſa.

A. CIƆIƆLXXXI. uſque ad annum CIƆIƆLXXXVI. examinibus ex officio interfuit, et vti in matricula anni octogeſimi primi habetur, interfuit *audiendi ſaltem cauſſa*, quae et quomodo gererentur, reuerenda dignitate clariſſimus vir, D. *Zacharias Schilter*, ex voluntate clementiſſima *vicem gerens perpetui huius Academiae Cancellarii.* Annotarunt etiam maiores noſtri diligenter in matricula annorum ſequentium, *Schilterum audiendi ſaltem cauſſa* examinibus interfuiſſe. Interfuit *Schilterus* vltimum ἐξετάσει anno octogeſimo ſexto, modo, quo praeteritis annis.

Anno 1587. Facultas Procancellariatum recuperare ſtuduit.

Anno enim ſequenti Facultas noſtra de recuperanda Procancellariatus dignitate non modo cogitauit, ſed etiam die XIIII Nouembris libellum ſupplicem Germanicum ad Sereniſſimum ac Potentiſſimum Electorem, CHRISTIANVM I, transmiſit.

poſtea inſerta fuit Tomo VI. orationum, in Academia Wittebergenſi recitatarum, in quo primum locum occupat.



Miſit libellum ſupplicem ad CHRISTIANUM I. Vſa eſt interceſſione M. Remleri, & operam ſuam et promtitudinem D. Crellii promiſit.

ſit. Scripſit etiam eodem die negotii maturandi cauſſa epiſtolam latinam ad M. *Danielem Remlerum*, Latinae linguae Secretarium Electoris intimae, vt tunc vocarunt, Camerae, qui XXI eiusdem menſis noſtrae Facultati reſpondit, Electorem peregre abiiſſe, ſe autem ſupplicationem Communitatis artium ad D. *Nicolaum Crellium*, qui ſemper Electorem comitetur, transmiſiſſe ac petiiſſe, vt eandem Illuſtriſſimo Electori ſubiectiſſime offerret, ſuaque felici interceſſione ac opera efficeret, vt Celſitudo eius dictam Communitatem voti ſui compotem clementiſſime reddere dignaretur. Adiecit etiam *Remlerus*, Doctorem *Crellium*, pro ea, qua erga totam Academiam affectus eſſet, animi promtitudine, quam fieri poſſit celeriter ac ſedulo, hoc praeſtiturum. Locum etiam reliquit Sereniſſimus Elector precibus Facultatis, et laudatus *Remlerus reſolutionem*, quam vocauit, *Electoralem*, ad Conſiliarios Martisburgenſes directam, die XXVII Nouembr. ad M. *Ambroſium Sonnewald*, tunc temporis Decanum, transmiſit, eidemque ſcripſit, vt illam Conſiliariis Martisburgenſibus quam primum redderet, et mandatum, veteri more, quid de munere Procancellariatus amplius fieri deberet, expectaret. Quod mandatum Facultas vna cum epiſtola latina ad *reuerenda dignitate, virtute et ſapientia praeſtantes Dominos Reuerendiſſimae et Illuſtriſſimae Gubernationis Mersburg. &c. Dominos ſuos, omni reuerentia colendos* d. VI Decembr. exarata curauit, in eaque Venerandum bonarum artium Magiſtrum, *Ioannem Cramerum*, Halberſtadienſem, ad Procancellariatus dignitatem, hoc anno adminiſtrandam, commendauit. Impetrauit etiam ſtatim Inclyta Facultas a laudatis Conſiliariis expetitum ſibi diploma Procancellariatus pro M. *Cramero*, epiſtolae Germanicae, ad Facultatem perſcriptae, incluſum, quod ita ſe habet: Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini CHRISTIANI, Ducis Saxoniae, Sacri Romani Imperii Archimarſchalci et Electoris, Landgrauii Thu-

Miſit Remlerus reſolutionem, quam vocauit, Electoralem, ad Conſiliarios Martisburgenſes transmittendam.

Miſit Facultas illam Martisburgum.

Commendauit M. Cramerum,

Accepit diploma pro M. Cramero, quod ex MSto exhibetur.

Thuringiae, Marchionis Miſniae, et Burggrauii Magdeburgenſis, Conſiliarii Moerſeburgenſes, Venerabili viro, *Iohanni Cramero*, Halberſtadienſi, bonarum artium Magiſtro, ſalutem in Domino. Significarunt nobis egregii et doctiſſimi Viri, Decanus et Communitas ſtudii bonarum artium in Academia Lipſica, viſum eſſe hoc tempore illis benigne conceſſam et confirmatam, te deſignatum eſſe, vt creandis optimarum artium Magiſtris more maiorum, facultatem poteſtatemque haberes, et te ad iſtius officii adminiſtrationem ſatis idoneum iudicarunt, ſubmiſſeque petierunt, vt tibi tanquam Procancellario id muneris in Academia Lipſica exercendum delegaretur: Nos itaque approbato illorum iudicio, de tua eruditione et habilitate ſpem bonam concipientes, illorum precibus annuimus, et ne quisquam meritis honoribus ac debito laborum et ſtudii ſui praemio priuaretur, tibi vel ſubſtituto tuo, nomine Illuſtriſſimi Ducis, Electoris Saxoniae, Domini noſtri Clementiſſimi, et Epiſcopatus Merſeburgenſis, vt debito examine praehabito liberalium artium Magiſtros promouere poſſis et valeas, plenariam concedimus autoritatem, his tamen litteris ad hunc annum duntaxat valituris. Datae Moerſeburgi, die 8 Menſ. Dec. Anno a Chriſto nato M. D. LXXXVII.

Gab. Schüz Cancellarius.

Vi huius diplomatis M. *Cramerus* Cancellarii vice inquiſitioni in eorum ſtudia, qui titulum magiſtrorum optimarum diſciplinarum et artium petebant, praefuit, huic adiuncti fuerunt IV Examinatores, acceſſit iudicium Profeſſorum publicorum, et his peractis, quindecim candidati die XV Ian. A. CIↃ IↃ LXXXVIII a laudato *Sonnewaldio*, Decano, Philoſophiae et optimarum diſciplinarum doctores et magiſtri publice ſunt renunciati, poſtquam Facultas die III Ian. epiſtola Germanica ad Electorem CHRISTIANVM perſcripta,

Functus eſt M. Cramerus recuperata Procancellarii dignitate.

Gratias egit Facultas Ele-

Gratiae pro reſtituta hac dignitate.

pta, pro reſtituta ſibi Procancellarii dignitate, demiſſiſſimas gratias egerat, et carnem ferinam ad prandium Ariſtotelis ſibi expetierat, a Clementiſſimo Parente eius glorioſiſſimae memoriae conceſſam. Atque ab illo tempore deſignatio Procancellarii penes Facultatem perpetuo fuit, ita vt, pro temporum ratione, modo praefectis gubernationi Martisburgicae, modo Reuerendiſſimo et Celſiſſimo Poſtulato Adminiſtratori Epiſcopatus Martisburgenſis, Cancellario vnico et perpetuo, vel, vti in aliis ſcripſit, Cancellario Eminentiſſimo ac Perpetuo, vnum ex collegis ſingulis annis commendarit, a quibus ſtatim diploma Procancellariatus obtinuit. Deſignantur etiam, ab obitu Celſiſſimi ac Reuerendiſſimi Ducis HENRICI, qui in annum triceſimum octauum huius ſaeculi incidit, Procancellarii a Facultate, adhuc ex quatuor nationibus, et hoc ordine eliguntur, ſecundum vulgare illud:

Obtinuit ab illo tempore modo a praefectis gubernationi Martisburgicae, modo a poſtulatis Adminiſtratoribus Epiſcopatus Martisburg. expetita pro ſuis diplomata

vsque ad obitum HENRICI Ducis.

Deſignat etiam adhuc Procancellarium, quo ordine nationum?

Ordine ſuccedit Procancellarius iſto,
Saxo, Polonus eunt, Miſnenſem Bauarus vrget.

Procancellarius, quomodo ſuo munere fungatur?

Deſignatus autem ab ordine Procancellarius, ſingulis annis, dominica I Aduentus ſingulari programmate Nobiliſſimos ac Doctiſſimos Philoſophiae ac bonarum artium cultores ad honores magiſteriales inuitat, examinibus, quae inſtituuntur, praeeſt, et vna cum quatuor Examinatoribus, qui e ſingulis nationibus in vigiliis Thomae eliguntur, conſultis quoque reliquis Profeſſoribus, qui etiam profectus Candidatorum explorant, dignos illos iudicat, qui his honoribus ſint ornandi. Sed non animus eſt de officio Procancellarii hic diſputare, de cuius origine potius et fatis, quae in Facultate noſtra habuit, quaedam placuit commentari, ex idoneis documentis, quorum verbis ſaepe vſi ſumus, repetita. Nunc nomina eorum ſunt recenſenda, qui, poſtquam profectus ſuos, in litteris humanioribus pariter ac Philoſophia factos, in conſue-

tis

Digitized by Google

tis examinibus, nobis ſatis ſuperque probarunt, cunctis Patrum ſuffragiis, digniſſimi iudicati fuerunt, qui Philoſophiae ac liberalium artium Magiſtri ſeu Doctores a me renuntientur. Eorum nomina haec ſunt:

Nomina renuntiandorum.

CHRISTIANVS GOTFR. MATTHESIVS, ad aedem D. Petri in hac vrbe Concionator et Catecheta.
GODOFREDVS ACHENVVALL, Elbinga-Poruſſus.
IOH. FRIDER. GEBHARD, Lipſienſis.
LAVRENTIVS ALBERTVS BECQVIVS, Onoldibaco-Francus.
IOH. ERDMANVS WALTERVS, Vſenhemio-Francus.
FRIDER. LVDOVICVS BOECKER, Streliza-Megapolitanus.
CHRISTIANVS LVDOVICVS KIRSTEIN, Fridlandia-Marchicus.

Hi ſeptem iam per diplomata creati fuerunt.

IOHANNES ANDREAS BAVER, Philoſ. Baccal. Lipſienſis.
FRIDERICVS AVGVSTVS SCHOENEMANN, Philoſ. Baccal. Islebia-Saxo.
CHRISTIANVS HENRICVS HAVSOTTER, Philoſ. Baccal. Lipſienſis.
CHRISTIANVS FÜRCHTEGOTT LEYPOLD, Philoſ. Baccal. Kyrena-Miſn.
IOH. LVDOVICVS RVDORFF, Philoſ. Baccal. Rora-Francus.
CHRISTIANVS GVLIELMVS AGRICOLA, Philoſ. Baccal. Beſenſtadio-Mansfeldenſis.
GOTTLOB CHRISTOPHORVS LANGE, Philoſ. Baccal. Budiſſa-Luſatus.
CHRISTIANVS FRIDERICVS STIEGLITZ, Philoſ. Baccal. Numburgenſis.

IOHANNES GOTTLOB BOEHME, Vurzena-Miſnicus.
CHRISTIANVS LVDOVICVS HERMANN, Tripta-Nariſcus.
CHRISTOPHORVS HIMMLER, Laucha - Thuringus.
IOHANNES GOTTLOB SCHINDLER, Laehna-Sileſius.
PAVLVS IACOBVS FOERTSCH, Haina - Miſnicus.
ADAMVS GOTTLIEB THIELE, Chemnitienſis.
THEODORVS AMBROSIVS STROHBACH, Annaburgo - Saxo.
CHRISTIANVS CAROLVS TOBERENTZ, Martisburgenſis.
GEORGIVS FRIDER. VVEBER, Schleuſinga-Francus.
IOHANNES STRVCKMANN, Oſnabrugenſis.
FRIDERICVS BENEDICTVS VVEBER, Vinarienſis.
IOHANNES MICHAEL MILLER, Vlmenſis.

Vt vero omnia haec eo maiore cum ſollennitate peragantur, ego quidem MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES, maiorem in modum rogo, velint futuro Iouis die XVI Febr. in Auditorium noſtrum ſe haud grauatim conferre, ſuaque exoptatiſſima nobis praeſentia huic Panegyri decus atque ſplendorem conciliare. Idem etiam a GENEROSISSIMIS NOBILISSIMISQVE ACADEMIAE CIVIBVS mihi expeto, velint eo frequentiores indictarum orationum auditores, noſtrorumque ſollemnium eſſe ſpectatores, quo luculentius ita declarabunt, ſe et orationibus, et honoribus Academicis, iuſtum ſtatuere pretium didiciſſe. Alia eius generis officia malo praeſtare, quam polliceri. P. P. Domin. Eſto mihi A. R. G. CIƆ IƆ CCXXXXVII.

Digitized by Google